(94)

Joannes Secundus dei gratia Electus Rex Hungariae Dalmatiae Croatiae etc. fidelibus nris universis, Egregijs Agilibus Judicibus nris Regijs Senioribus potioribus, et universitati primipilorum, Sedium nrarum Siculicalium Chyk Gyrgyo, Salutem et gratiam. Meminisse potestis, quod superioribus comitijs publica Regni necessitate perpensa ut videlicet imminentia pericula commodius et maturius euitentur, paribus votis conclusum et deliberatum extiterat ut singuli nobiles cum sedecima parte colonorum suorum more bellico et militari optimis instrumentis instructi insurgere deberent. Cum itaque varij rumores quottidie increbescant, et ad nos de conatibus et studijs hostilibus Germanorum deferantur statuimus pro decreto publico dominorum Regnicolarum aduersariorum nostrorum conatibus obsistere, Mandamus itaque fidelitatibus vris firmiter sub poena in articulis expressa ut visis presentibus statim vos primores universi et singuli capitatim, vos vero primipili cum tertia parte primipilorum iuxta limitationem proximis diebus per fideles nros Egregios franciscum Mikola consiliarium et paulum Banffy prefectum castri nri Zekeltamatt, ac Capitaneum sedium nostrarum, vduarhelij marosvasarhelij Chyk Gyrgyo facta, ex illis sedibus militari et bellico modo moueri et citra quamlibet cunctationem ad campum Kerezter mezeo venire sub poena nominata modis omnibus debeatis et teneamini ubi nos quoque personaliter constituti sumus, Secus in quantum vobis patria, vxores liberi cari existunt poena sub premissa nullo modo facturi. Datum Thordae feria secunda proxima post festum Sacrum pentecostes, Anno dni Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Sexto.

32.

Joannes Electus

SERV. R.P.R. ARHIVELOR STATULUI CLUJ DEPOZIT

Tört. Tár XXVIII. 21.

1566/6

B.